



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 64. Libri Molinosii erroribus scatentes proscripti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

§. LXIV.

*Libri Molinosii erroribus scatentes
proscripti.*

Argentre
l. c. p. 393.
Vid. supra
l. 210. §. 30.
pag. 478.
tom. 65.

Jam anno hujus sæculi octogesimo octavo Sacra Indicis Congregatio decreto die nona Septembris emanato proscriptit Patris Francisci la Combe Barnabitæ *Analysin orationis mentalis*, necnon præfati Authoris, *judicium de variis ejusdem speciebus*: cum autem in superhabito hoc decreto nihilominus hic liber Parisiis passim omnium manibus terreretur, etiam Franciscus Harlæus Parisiensis Archiepiscopus hoc opus die decima sexta Octobris damnavit, æque ac aliud Gallico sermone scriptum, cui titulus, *brevis & facillima methodus vacandi orationi*, eoquod doctrinam in Viennensi & Tridentina Synodo jam damnatam, perniciosam, præcipuis in fidei veritatibus adversam contineret, in contemplatione libertatem extinqueret, inactivitatem, & indifferentiam circa media ad salutem, a præceptis & pietatis exercitiis dispensationem, atque imaginariam Dei jam possessi certitudinem instillent. Hic liber unacum alio, qui inscribitur, *Cantica Canticorum Salomonis in sensu mystico intellecta* fanaticæ mulieri Guyonniæ

nixæ adscribitur, utrumque vero Gode-
 tus Carnutensis Episcopus reprobavit unacum aliis ejusdem foeminae Codici-
 bus manu exaratis, quæ aliis clanculum
 diltribuebantur, uti jam supra memi-
 nimus.

§. LXV.

*Dubia a Theologis circa D. Maigroti
 Vicarii decretum proposita.*

Cum Carolus Maigrotus Fokiensis in Regno Sinarum Vicarius Apostoli-
 cus suum edictum contra Sinenses ritus anno priori editum, uti retulimus, a quibusdam Missionariis minime observa-
 tum iri probe prospiceret, hinc, ut ex Apostolico mandato plena accederet auctoritas, præsatum edictum a summo Pontifice confirmandum Romam misit: Innocentius itaque totum hoc negotium ad Sacram Congregationem sancti Officii remisit, & præter Cardinales adhuc quatuor alios Theologos tum doctrinæ excellentia ceteris omnibus Romæ longe celebratissimos selegit, ut hi omnium verborum apices ad rigidissimam limam probarent, ac desuper referrent: ut vero tanti momenti negotium omni prorsus diligentia discuteretur, voluit Pontifex, ut præfati hi Doctores prius dubia seu quæstiones circa singulos Maigrotiani edicti

Sæc. XVII.
 A. C. 1694.
 Acta causæ
 Rit. Sin.
 pag. 14.
 Charmot
 Hist. cult.
 Sin de rit.
 Sin.